

TRIBUNAL ROTAE ROMANAE

Coram R. P. D. EMMANUELE BONET, *Ponente*

X

DEBITI

(Petrus - Paulus)

I. FACTI SPECIES

1. Sacerdos Antonius, annis 1949 et 1950, pecuniam tradidit paroeciae loci Z., dioeceseos X., pluribus traditionibus acceptis a Rev. Paulo, rectore praefatae ecclesiae paroecialis. Revera Reverendus Antonius pecuniae summas dedit Reverendo Paulo, sed dein lis exorta est sive quoad naturam traditionis et consequentis obligationis, sive quoad pecuniae mensuram. Itaque, die 28 januarii 1959 Rev. Petrus, utpote heres Sac. Antonii, in iudicium adduxit Rev. Paulum, qui actoris petitioni restitit. Dubium igitur penes Tribunal X statutum est sub formula: "Utrum constet de debito quoad summas de quibus supra ex parte D. ni Canonici Pauli, qui agit nomine paroeciae Z. erga D. num Canonicum Petrum, heredem D. ni Antonii". Causa in primo jurisdictionis gradu instructa fuit, atque die 9 junii 1960 sententia lata est, qua edicebatur: "Paroeciam Z. teneri ad 750.000 Fr. summam tradendam D. no Canonico Petro, qui est heres Sacerdotis Antonii"; itaque proposito dubio responsum est: "Affirmative quoad tres summas: 250.000 diei 29 januarii 1949, 200.000 diei 15 augusti 1949, 300.000 diei 13 octobris 1949 (loco 316.000); Negative quoad alias summas". Insuper eadem sententia statuit: "Haec summa debet tradi Tribunali intra unum mensem a die acceptationis sententiae ex parte actoris et rei conventi. Fructus simplices cum fenore 5 % illarum summarum, i. e. 329.275 Fr. debent etiam solvi D. no Petro et consequenter tradi Tribunali intra unum mensem a die acceptationis sententiae".

Contra quam tamen actor appellationem interposuit ad tribunal superius sed in concreto non indicavit quodnam esset, quamvis ex iure satis constet agi de tribunali Metropolitano. Simul et conventus appellavit, quidem ad Sacram Romanam Rotam. Hinc causa agitata est, in secundo iudicii gradu, interveniente R. D. Justitiae Promotore, apud N. S. O., et hodie definienda proponitur sub concordato dubio: "An, quo titulo et qua mensura, pecunia debeatur a R. D. Paulo R. D. Petro".

II. IN JURE

2. Tum ad ius obligationum in genere, tum ad contractus et quasi-contractus in specie quod attinet, competentia seu ambitus ordinis iuridici canonici praesertim ex obiecto obligationum derivatur; non autem ex personarum qualitate generatim originem ducit. Obiectum enim obligationum respicit utique personas, quae tamen ex obligationibus vinculo iuris adstringuntur necessitate alicuius solvendae rei, iuxta civitatis commune ius. Hinc iam iure romano distinctio habebatur inter obligationes iuris civilis et illas iuris gentium. Res enim facile procedit ubi personae, inter quas adest relatio obligationis, eidem ordinationi iuridicae subsunt; sed difficilior evadit inter personas quae diverso iure reguntur.

3. Personae vero physicae, etsi baptizatae, vel fruenter privilegio fori, cuius natura est processualis, eo obligationum iure reguntur quod, civilis ordo cui subsunt, statuit, nisi agatur de obligationibus quae ab ordinatione iuridica canonica originem ducant. Unde pro ipsis non debet invocari can. 1529, utpote norma iuris canonici, quoad obligationes quae iure civili reguntur. Ita, exempli gratia, emptio-venditio inter duos clericos de bonis civilibus, iure dumtaxat civili temperatur.

4. Ratione ergo personarum illae tantummodo obligationes reguntur iure canonico, quae contrahuntur inter duas personas morales ecclesiasticas, scilicet quae rationem personae sortiuntur ex praescripto iuris ecclesiastici (vel ex ordinatione divina), aut ex concessione Superioris ecclesiastici competentis. Illa enim dumtaxat temporalia bona sunt ecclesiastica quae ad aliquam personam moralem in Ecclesia pertinent.

5. Obiectum relationis iuridicae seu obligationum inter personas physicas quae iuri civili subduntur et personas ecclesiasticas iuri canonico subiectas, ea ordinatione iuridica regitur quae vel conventionem inter utramque potestatem sancita fuit vel consuetudine fuit admissa.

6. Cum vero agitur de contractibus vel quasi-contractibus, qui natura sua vel suis in solemnitatibus essentialibus peculiari canonico praescripto non afficiuntur, de facto idem ius imperat. Jus enim canonicum, ad contractus quod attinet, civile ius territorii admittit, salvo iure divino, naturali vel positivo.

7. Ad contractum ergo mutui quod spectat, cum nihil directe provideatur in Codice Juris canonici, si praescriptiones excipias sollemnitatum requisitarum vi can. 1533 in quolibet contractu quo conditio Ecclesiae peior fieri possit, ius civile praevalet. Sollemnitates enim illae minime valorem contractus mutui afficiunt. Inmo ius canonicum apte tuetur illorum iura qui pecuniam sub specie mutui tradunt corporibus ecclesiasticis, cum urgeat Superiorem ut curet, ubi primum fieri possit, solvendum aes alienum (cfr. can. 1538 § 1).

8. Ad donationes vero quod attinet inter vivos factas, ius civile plene sustinetur seu in totum admittitur, atque revocationi una dumtaxat limitatio statuitur praescripto can. 1536 § 4.

9. Cum autem agitur de donationibus mortis causa, apprime distinguantur oportet ultimae voluntates ad intentionibus de futuro patefactis, quae revera ultimae voluntates non fiunt. Donationes enim factae ad pias causas eximuntur a sollemnitatibus iuris civilis, vel rectius ex conscientia adimpleri debent, *si constat de ultima voluntate*, etiamsi omissae fuerint sollemnitates iuris civilis. Bona tamen ad pias causas destinata *de se* ecclesiastica non fiunt, quamvis ratione destinationis sub vigilantia Ecclesiae cadant.

10. Jam ergo verbum erit dicendum de praescriptis iuris civilis gallici, tum quoad contractum mutui, tum quoad donationes. In Codice civili Gallico distinguitur mutuum simplex a mutuo cum fenore, sed generalis notio mutui definitur in art. 1892: "Le prêt de consommation est un contrat par lequel l'une des parties livre à l'autre une certaine quantité de choses qui se consomment par l'usage, à la charge par cette dernière de lui en rendre autant de même espèce et qualité". Unde obiectum contractus mutui varium esse potest, quamvis de facto fere semper sit pecunia.

11. Mutui contractus vero fit onerosus cum agitur de sic dicto "le prêt à intérêt". Partes in paciscendo possunt statuere fenus. Legitur in art. 1907 Codicis civilis Gallici: "L'intérêt est légal ou conventionnel. L'intérêt légal est fixé par la loi. L'intérêt conventionnel peut excéder celui de la loi, toutes les fois que la loi ne le prohibe pas".

Mutui contractus per se sollemnitates non exigit. Vi contractus mutui onerosi exurgit in eo qui pecuniam commodatam accepit onus solvendi, intra tempus statutum, summam susceptae pecuniae ac praeterea fructus feneratoris qui maturarunt. Solummodo definitiva solutione obligatio exstinguitur.

12. In eodem Codice civili Gallico statuitur principium quod valet in variis obligationibus: "Le débiteur d'une dette qui porte intérêt ou produit des arrérages, ne peut point, sans le consentement du créancier, imputer le paiement qu'il fait sur le capital par préférence aux arrérages ou intérêt: le paiement fait sur le capital et intérêts, mais qui n'est point intégral, s'impute d'abord sur les intérêts" (art. 1254).

13. Ad donationes vero quod attinet, ius civile gallicum agnoscit tantum donationes inter vivos, de qua legitur in art. 894: "La donation entre vifs est un acte par lequel le donateur se dépouille actuellement et irrévocablement de la chose donnée, en faveur du donataire qui l'accepte". Jus gallicum sollemnitates exigit ad validitatem donationis inter vivos: "Tous actes portant donation entre vifs seront passés devant notaires, dans la forme ordinaire des contrats; et il en restera minute, sous peine de nullité" (art. 931). At in art. 932 exigitur etiam sollemnitas pro acceptance donationis, secus irrita erit.

14. Donatio attamen mortis causa iure civili cum non agnoscat, nullum effectum iuridicum per se obtinet. Sed in facie Ecclesiae ultima voluntas iure

naturali valida, ad pias causas quod attinet, urgeri potest ex conscientia; quod conscientiae officium sanctionem iuridicam invenit in ordinatione canonica ex praescripto canonis 1514.

15. Ad probationes vero quod attinet, inspiciendum est ius processuale fori in quo causa agitur. Hinc valet principium can. 1748 § 1: "Onus probandi incumbit ei qui asserit. Actore non probante reus absolvitur". Cum vero comprobata exstet obligatio ex parte creditoris, debitori competit eiusdem extinctionem probare.

16. Praemittere etiam iuvabit longe differre actionem petitoriam, qua creditor a debitore vindicat solutionem obligationis, cuius natura est iuris stricte privati, ab illa actione de qua in can. 1534, quae propter publicum bonum instituitur.

III. IN FACTO

17. Probatio per documenta vim obtinet cum agitur de documentis a partibus concorditer admissis, sive in iudicio, sive etiam in actu administrativo sed coram auctoritate. Aliunde in casu controversiae caput potius est in interpretanda contractus natura quam in statuenda pecunia tradita; aliis verbis, sitne mutuum an donatio.

18. Jamvero, in actis exstat documentum, a convento subsignatum die 11 decembris 1952, ex quo constat Rev. D. num Antonium, cuius heres est actor praesentis causae, mutuasse paroeciae Z. aliquas summas pecuniae, traditas prouti sequitur:

—die 13 octobris 1949	316.000 Fr.;
—die 7 aprilis 1949	100.000 Fr.;
—die 20 maii 1950	400.000 Fr.;
—die 12 iunii 1950	200.000 Fr.;

De qua pecunia legitur in allato documento: "Laquelle somme (1.016.000 Fr.) j'oblige la Paroisse de Z. à remborser à Monsieur Antoine, dans un délai de cinq ans, par annuités égales et jusqu'à parfait paiement à lui en payer les intérêts au taux de cinq pour cent lan".

19. Ex altero documento ab eodem convento subsignato eodem die agnoscitur etiam novum mutuum complectens pecuniam prouti sequitur:

—Die 20 ianuarii 1949	250.000 Fr.;
—die 15 augusti 1949	200.000 Fr.;

De eiusmodi mutuo admittitur etiam obligatio paroeciae Z. "...dans un délai de trois ans par annuités égales" cum fenore 5 % annuo.

20. Relata documenta subsignata fuere occasione praesentis controversiae, cum haec ageretur administrativo tramite. Nunc vero, antequam de mensura pecuniae tractetur quae constituit obiectum assertae obligationis, dicendum est num revera traditio pecuniae mutuatae adfuerit necnon de natura asserti mutui. Sed liceat praemittere aliqua facta, quae ex actis comprobantur.

21. Testis Rev. Augustinus in iudicio deponit atque asserit defunctum Rev. Antonium eidem retulisse, mense maio 1950, pecuniam, de qua in traditionibus dierum 20 ianuarii, 15 augusti ac 13 octobris 1949, se tradidisse paroeciae de Z. animo percipiendi fenus vita durante, sed eandem pecuniam donandi paroeciae post suam mortem. Neque huius testis assertum, omni exceptione maioris, ab actore respuitur. Hinc appellata sententia admisit has donationes "mortis causa" fuisse factas.

22.—Sed eadem sententia retur donationes illas revocatas fuisse, prouti constat ex argumentis ibidem allatis: id vero praesertim ducitur ex documentis ab ipso Rev. Antonio subsignatis die 5 octobris 1951, quod in tabulis est.

23. Heic igitur iuvat statim animadvertere donationem mortis causa nullum effectum parere vita durante, neque immutare naturam mutui, si verum mutuum adfuit. Hinc sententia appellata declaravit paroeciam debetricem trium summarum illarum:

—die 20 ianuarii 1949	250.000 Fr.;
—die 15 augusti 1949	200.000 Fr.;
—die 13 octobris 1949	316.000 Fr.;

seu *summam universam*: 766.000 = Fr.

24. Attamen sententia admisit conventi assertum de 16.000 Fr. manu traditorum ab ipso Rev. Antonio, quod neque actor denegavit, ac proinde declaravit paroeciam debere 750.000 Fr., titulo quidem mutui.

25. Actor vel in praesenti instantia cum hac decisione consentiens est ac detractionem 16.000 Fr. acceptat. Patronus partis conventae, praeterea, contendit summas illas, utpote donatas, irrevocabiliter acquisitas fuisse paroeciae. Sed prae oculis haberi debent principia *in iure* commemorata, quae censuere Patres a Patrono cognosci debere. Donationes nullum effectum habuerunt ante mortem donatoris, cum donatio inter vivos nulla habeatur iure gallico nisi servatis iuris sollemnitatibus. Cum vero donatio mortis causa nullo modo mutet naturam obligationis exortae, ac tantum post mortem, si ad *pias causas* refertur, conscientiae officium imponat, patet pecuniam traditam, prouti ab omnibus admittitur, mutui naturam induisse, quidem cum fenore solvendo. Cum insuper donatio ad *pias causas*, si adfuit, certo documento diei 5 octobris 1951 revocata sit, nec subsequens probetur pia voluntas, sustinetur natura mutui cum fenore solvendo, pro tribus illis summis primum traditis.

26. Quoad summam vero traditam die 7 aprilis 1950, scilicet 100.000 Fr., sententia appella declaravit eam compensatam fuisse eo quod ipse actor agnoscit summam 68.140 Fr. tamquam non exigibilem, cum adhibita fuerit ad solvenda plura debita Rev. Antonio atque pro reliquis vel aliae solutiones habitae sint. Actor vero appellans contendit constare in casu de mutui contractu, non quidem de compensatione; sed actor minime negat solutiones factas esse quoad summam 68.140 Fr. Hinc Patres censuerunt in casu admitendam esse solutionem ad extinguendam obligationem eiusdem summae 68.140 Fr., sed dubias quidem esse solutiones factas seu assertas relate ad 31.860 Fr., seu ad summam quae superest a 100.000 Fr. detracta solutione 68.140 Fr.

27. Appellata sententia agnoscit quoque obligationem praecedentem seu exortam ex datis:

—die 20 maii 1950	400.000 Fr.;
—die 12 iunii 1950	200.000 Fr.;

Atqui Patres censuerunt, prouti superius dixerunt, comprobatum mutuum contractum pro illis summis, quidem cum fenore 5 %.

28. De pecunia vero mense iunio 1950 praestita seu de summa 310.000 Fr. et a convento denegata, Patres censuerunt non probari obligationem. Aliunde neque ipse actor institit.

29. Jam ergo de habitis solutionibus dicendum est ad extinguendas obligationes. Oportet enim a limine distinguantur solutiones ordinatae ad extinguendam obligationem, quae primum pertinent ad fenus solvendum ac dein ad debiti extinctionem, a solutionibus quas debitor ex aliis titulis creditori praestat quibusque obligatio compensatur: hoc enim in casu debitor fit etiam creditor.

30. Hinc Patres censuerunt confirmandam esse decisionem appellatae sententiae, qua 68.140 Fr. summa agnoscitur in favorem conventi, qui plura Rev. Antonio debita solvit. Idem dicatur de 16.000 Fr. summa, quam propria manu conventus tradidit Reverendo Antonio.

31. Quoad summam vero stantem ex 100.000 Fr. detractis 68.140, scilicet 31.860 Fr., Patres censuerunt hodie confirmari non posse appellatam sententiam. Res ergo est controversa: dum enim ex una parte asseritur D. nus Alexander usus fuisse hac summa ad solvendas plures expensas Rev. di Antonii, actor idipsum negat. Res ergo adhuc sub iudice manet.

32. Denique certo constat de variis solutionibus factis a convento ad fenus solvendum et obligationes extinguendas. Sed, prouti superius *in iure* dictum est, solutiones quae agnoscuntur ita sunt interpretaendae ut fenus prius solvatur ac, pecunia quae superest, obligationis obiectum seu mutuum minuatur. En elenchus solutionum habitarum:

— die 11 decembris 1952	50.000 Fr.,
— die 10 februarii 1953	25.000 "
— die 4 aprilis 1953	50.000 "
— die 19 junii 1953	60.000 "
— die 20 octobris 1953	30.000 "
— die 14 decembris 1953	250.000 "
— die 22 februarii 1954	50.000 "
— die 18 maii 1954	60.000 "
— die 21 octobris 1954	50.000 "
— die 24 maii 1955	50.000 "

Quarum solutionum *summa est* 675.000 Fr..

33. Fenus vero solvendum est pro sua maturatione. Inde obligationes exortae sunt ubi pro singulis summis mutuuum contractum est, fenus maturat per vices annorum juxta partium conventionem in mutuo statuendo, solutiones vero diebus quibus factae sunt detrahi debent a fenere debito ac postea ab ipsa pecunia mutuata iuxta superius dicta.

Quibus omnibus sive in iure sive in facto sedulo perpensis, Nos infrascripti Patres Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, declaramus, pronuntiamus et definitive sententiamus, ad dubium propositum respondentem: "Affirmative, seu a Rev. D. no Paulo, parochi, deberi Rev. D. no Petro, titulo mutui, cum fenore solvendo, summam 1.350.000 francorum, cum onere solvendi fenus 5 % a die quo singulae summae mutuatae fuerunt, detractis tamen solutionibus habitis quae attingunt summan 675.000, ita tamen ut solutiones factae computentur prius ad fenus solvendum deinde ad sortem minuendam. Quoad summam adhuc dubiam 31.860 Fr. placere de concordia; secus litem prosequendam esse, partibus revocato gratuito patrocinio".

Praeterea, cum partes obtinuerint gratuitum patrocinium, ipsae exonerantur a solvendis honorariis advocatorum nec proinde pars victa condemnatur ad expensas iudiciales. Sed in executione adamussim servetur praescriptum art. 185 Normarum Sacrae Romanae Rotae; opportune ergo a Cancellaria praemoneatur Ordinarius, qui de executione peracta ac de observato eodem art. 185 edoceat N. S. Tribunal.

Ita pronuntiamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut executioni tradant hanc Nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad Normam SS. Canonum, iis adhibitis mediis, quae opportunitiora et efficaciora videantur.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 22 junii 1964.